



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Concubinarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

fuis titulis, ubi habent jura episcopalia, prout dicitur.

## CONCUBINARIJ.

## SUMMARIUM.

1. Qui dicantur concubinarij.
2. Quomodo sit procedendum quoad laicos.
3. Quomodo quoad personas ecclesiasticas.
4. Quae poena incurrantur à personis ecclesiasticis.
5. Quomodo probetur aliquis concubinarijs.

**A**D Primum. De rigore juris ille verè dicitur Concubinarijs, qui ita domi retinet mulierem, ac si esset ejus uxor, Bald. in *Authen. licet concubinam*, ff. de concub. & alij quos refert Diaz in *pract. crim. Canon. cap. 37.* Sylvest. in *ver. Concubinarijs*, num. 11. licet Diaz ipse dicat, quòd non solum qui domi eam retinet, sed qui aliquo colore eam retineret in domo suae matris, vel aliquarum consanguinearum, vel alibi, & cum ea habeat assiduam consuetudinem. Ratio est quia attenditur scandalum quod à populis concipitur, tam si domi, quam si extra retinetur, & ad hoc inclinatur. Conc. Trid. *sess. 24. cap. 8. de refor. matr.* ubi Concubinarijs vocatur, etiam qui extra domum mulierem suspectam retinet, & clarè *sess. 25. cap. 14. de reformat.* ubi in domo vel extra prohibet consuetudinem mulierum, cum quibus posset haberi suspicio, & eas vocat concubinas, & Navar. *confi. 1. de cohabitatione cler.* & *mut. dicit Conc. sess. 25. c. 11. de reform.* habere locum etiam in una simplici in-

continentia, etiam sine qualitate concubinatus.

Ad Secundum. Sac. Conc. Trid. dat formam in *d. cap. 8.* ut primò ter moneantur ab Ordinarijs, etiam ex officio. Secundò, si hoc peracto non resipiscerent, esse excommunicandos. Tertiò, si animo indurato per annum sic steterint, pro qualitate criminis severè ab Ordinario puniantur, prout in *sess. 25. c. 3. in ult. de refor. & dicam in ver. casus, in ver. excommunicatio.* Quartò, mulieres quae publicè cum suis concubinarijs vivunt, nisi, ut suprà, admonente Ordinario, paruerint, extra oppidum, sive diœcesim ejiciantur, invocato ad hoc etiam si opus erit, brachio saeculari: sed quia vidi nonnullos locorum Ordinarios circa hujusmodi salutarem decretum trepidare, verentes molestari à Judicibus saecularibus, ideo relictis millibus locis sacrae Scripturae, quibus probari posset, Episcopos potius debere consulere officio, seu ponderi & obligationi conscientiae suae, quam veteri judicium laicorum molestiam, dico quod non propter hoc cessare debent, & meminisse illius aeterni c. 5. *Oportet magis obedire Deo quam hominibus.* & illius Pauli dicentis: *Dum hominibus placeo non sum servus Christi.* & David, *Dissipat Dominus ossa eorum qui hominibus placent.* & videant sac. canones, gl. in c. *ex literis, 2. in ver. compellas, de spons. c. cum in tua, de usur.* Syman. *de Cath. inst. tit. 66. nu. 3. c. ad nostram, 2. de jurejur.* & Maran. *6. p. tit. de inquis. n. 135. & infra, Abb. in d. c. ad nostram.* Postremò exequantur hoc salutarem decretum in quibus locis habetur, Episcopum debere non solum

solum punire peccata præterita, sed prohibere in quantum potest, ne committantur futura, vide Boer. *decis.* 72. *nu.* 1. & 6. vide Abb. *in cap. n.* 1. & 2. *de adulter.*

Ad Tertium. Quoad clericos, personaque ecclesiasticas relictis pœnis de jure antiquo irrogari solitis, dicam, quæ sunt de jure novissimo statutæ, cui in hoc standum est. fac. Concil. Trident. *sess.* 27. *ca.* 14. *de refor.* dicit. Primò, quòd si à superioribus moniti, ab ipsis concubinis non abstinerent, tertia parte fructuum quarumcumque pensionum beneficiorum sint ipso facto privati. Secundò, si in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnium beneficiorum amittant, prout supra, sed quoad Ordinarius tanquam Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, ab administratione beneficiorum suspendantur. Tertio, si ita suspensi, cum eisdem versentur, vel eas non expellant, privabuntur perpetuò omnibus beneficiis, & pensionibus. Quarto, si postquam eas semel dimiserint, earum consortium intermissum repetere, vel alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adungere ausi fuerint, præter dictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Quintò, sint inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, & officiis, donec, &c. Sextò, clerici non beneficiati, juxta delicti qualitatem pœna carceris, suspensionis ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, ac aliis modis, juxta sac. Canones, ab ipso Episcopo puniantur: vide *de eos.* 32. *distin.* Ex quo oriuntur multa

dubia. Primum, an habeant locum pœnæ taxatæ à jure antiquo. Secundum, an sint ipso jure suspensi. Tertium, an possint ipsæ concubinæ etiam excommunicari. Quartum, an requiratur trina monitio contra ipsos clericos.

Ad primum, videtur quòd sic, quia Conc. initio c. citati dicit, alioquin pœnis à sac. Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur, ergo habent locum accumulativè hodie etiam pœnæ juris communis, prout in *tot. titul. de vita & hon. cler. & cohabit. cler. & mul. & c. ac se clerici, §. de adulteris, de jud.* tamen omissis disputationibus, quas quisque poterit videre in Gom. *in c. 1. de constit. lit. 6. à n. 53. & infra, & in c. statutum, n. 92. de rescript. eod. lib.* dico, quòd hodie standum est dispositioni juris hujus novissimi Conc. Trid. nam quicquid sit de disputationibus prædictis, in hoc conveniunt omnes, quòd lex posterior correctoria, vel non correctoria prioris, vel ita totum aufert legem priorem, ut dicit ipse Gom. *ubi supra,* vel in partem, ut ait gloss. *in d. cap. statutum, in versi. reformandum,* vide Covar. *in cap. alma mater, 2 par. in initio, libro 2. & 3. & Dyn. in c. indultum, n. 8. de reg. jur. in 6.* ubi habetur, quòd una lex potest tollere, & extenuare vires, & effectus alterius, vide melius gl. *in c. generi in principio de reg. jur. lib. 6. & in c. quæ prior, ibidem,* facit, quòd lex nova qua parte contrarium statuit legi veteri, derogare videtur ipsi; Nav. *in c. penul. §. sacerdotes, n. 171. de pœn. distinct. 6.* & quòd quando pro delicto ponuntur multæ pœnæ, minor est imponenda. Abb. *in ca. præterea, de usuris.* Ex quo ego elicio hanc

conclusionem, quod siue in totum, siue in partem, lex ista novissima aufert jus antiquum, debet Ordinarius procedere ordine facti Concilii, prout ordinariè nos ex eo colligimus conclusiones, & hoc etiam probabitur sequentibus, & hoc clarè dicit Navar. *conf. 1. de cohabu. clericis. & mulier.* ubi dicit, mitius punire sac. Conc. quàm jura antiqua peccatum carnis: nam antiqua depositionem infligebant, sac. verò Concilii procedit eo ordine quem vides. Dicit quis, evitanda est legum correctio, ut patet vulgatis juribus. Respondetur. Primo, quando lex nova corrigendo reducit ad jus antiquum, Jason in *Auth. Quas actiones, de sacrosan. Eccles. num. 20. & 24. Gloss. cap. statutum, in ver. num. indum. de prob. lib. 6.* Respondetur secundo, quòd non dicitur correctio, sed declaratio, prout à simili dicunt sacri Theologi, de processione Spiritus sancti à Patre, Filioque, respondendo Greg. prout magis primo *sententiar. distinc. 12.* Respondetur tertio, quòd rigor canonum antiquorum reducit ad aequitatem, Jason in *Auth. Novissima, num. 24. de inoffic. testam.* vide Gemin. & gloss. in *capit. eos qui, in ver. per annum de temp. or. din. lib. 6.* Nec obstat quòd dicit gloss. in *cap. licet Canon, in ver. carere,* & ibi Gemin. *vers. nota istam glossam, de elect. lib. 6.* ubi habet pœnam in potissi no jure super actu etiam per antiquam legem damnato, non intelligi sublatam legem antiquam, nec pœnam antiquæ legis, quæ potest concurrere cum pœna novæ legis, quia lex nova sacri Concilii, mitigat rigorem illum veterum canonum, & non potest concurrere

pœna ipso jure inflicta cum comminatoria, quia prima ponit irregularitatem, secunda verò nisi cum suis terminis. Potest dici quartò, lex nova sacri Concilii est declarativa veteris, & sic potest etiam extendi, Gem. in *cap. si compromissa, ver. quod licet in, de elect. lib. 6.* facit quintò, quòd à minori pœna est inchoandum, tex. gl. & Gem. *ibi. ver. ex isto textu, de off. deleg. lib. 6. quia pontificali,* & sic procedit sacrum Concilium, etiam de residentia, prout dictum est in *ver. privatio, §. 3. sess. 6. cap. 1. & sess. 23. ca. de refor.*

Ad Secundum. Videtur quòd sic, in in tribus casibus. Primò, quando per simoniam ita fuerit condemnatus. Secundò, quando per propriam confessionem fatetur. Tertio per evidentiam rei, quæ non potest alia tergiversatione celari, c. *fin. de cohab. cler. & mulier, ca. nullus, cap. prater, 32. dist. ca. si qui sunt, §. 1. dist. Navar. ca. 25. nu. 16. notab. 15. Sylvest. in ver. concubinaris, §. 4. & in ver. Missa, 2. §. 3. Diaz. in Pract. crim. Can. ca. 73. Abb. in c. 4. de cohab. cler. & mul. not. 2.* tamen oppositū verius, quòd non sit ipso jure suspensus, nisi sit per sententiam taliter sic denunciatus seu sententiatus, Sor. 4. *sent. d. 1. q. 5. art. 6. concl. 1. & d. 13. q. unica, art. 9.* Covar. in *c. alma mater, 1. p. §. 2. nu. 10. in vers. 6. & in Clem. si furiosus, 1. p. §. 1. nu. 5.* Syl. in *ver. Missa, 2. §. 3. tex. in cap. sciscitan- tibus, 15. q. 8. & ibi gl. in ver. sciscitantibus, & gl. in d. c. nullus, in ver. audiat, & tex. in c. tanta labe, & ibi gl. in ver. omnes, de sim. & Nav. 1. §. labore, col. 2. de pœn. d. 1. Gui. Pap. 9. 558. ubi dicit, quòd venit privatus beneficio per sententiam, *loc. cit.* ubi dicit suspendendū, nec in prima contumacia; ergo*

ergo non est ipso jure suspensus, & ista sententia est communis, omnium recentiorum. facit *cap. quàm sit, de excess. prelat.* ubi summarium dicit, quòd suspendendus est clericus, qui de suo crimine publicè gloriatur; ergo non est suspensus ipso jure, Selva 3. parte, *quæst. 8. n. 5.* dicit, quòd fornicatio quæ est notoria, vel scandalosa, vel diu continuata, est digna depositione; ergo non est ipso jure suspensus, seu depositus, Franc. Victor. in *sum. sac. qu. 3. fol. 140. n. 4.* ubi dicit concubinarium notorium priùs debere moneri, & postea suspendi à beneficiis, & si non se corrigit, removetur ab eisdem; accedit, quòd Pius V. *Bulla sua 5. quæ incipit: Cum primùm,* non addit alias pœnas quàm quòd observetur sac. Conc. Trident. & addit solùm quòd in hoc peccato & blasphemix, & simoniæ procedi posset non solùm per accusationem, sed per inquisitionem, & per simplicem denuntiationem, idem Innoc. & Abb. in *c. si celebrat, n. 5. de cle. exc. & inc. nostra, n. 7. & 8. de cohab. cler. & mul. & in cap. tuam nobis, n. 16. de decim. D. Ant. 2. p. iii, q. c. 10. §. 1. ver. 6. Major. in 4. sent. dist. 9. in fin. & idem clarè tenet Inn. in *c. paternitatis, n. 3. de heret. Nav. in c. 1. §. labore. n. 10. de pan. d. 6. Caputaq. dec. 90. p. 2.* facit quòd notat Gemin. in *c. perpetuo de elect. lib. 6. circ. fin.**

Ad Tertium. Gloss. in *cap. 2. de cohab. cler. & mul. in ver. canonica,* dicit tres expositiones, seu opiniones, quid agendum sit contra concubinam publicam, tandem dicit, posse, & debere excommunicari, per *c. concubina, de sen. exc. lib. 6.* Sed hoc intellige, si fuerit contumax,

vel perseverans inobedientia, & quando non speratur resipiscentia, *c. 1. de sent. exc. l. 6. & Abb. in d. c. 2. n. 5.* dicit concubinam clerici debere puniri per Judicem ecclesiasticum.

Ad quartum. Videtur quòd ter debent moneri, patet *d. c. 2. de cohab. cler. & mul.* ubi dicit, post primam, secundam, & tertiam admonitionem. Idem. in *Clem. 1. & ibi gl. in ver. tertia, de vit. & hon. cler.* tamen Conc. loquitur simpliciter, dicens, *quòd si à superioribus moniti, & c.* Ergo videtur quòd sufficeret prima monitio: nam non proceditur ad censuras, nec ad beneficiorum privationem, nec ad suspensionem administrationis, sed ad tertiam partem fructuum; ergo sufficit prima monitio.

Ad Quartum principale, videantur criminalistæ canonici, ut Diaz *loc. cit. & Pau. Chir. lib. tertio, tit. de omnifari. coit. cap. septimo, & nono per totum, & alii.*

Ad Quintum. Vide Abb. in *c. tua nos, n. 7. de cohab. cler. & mulier.*

## CONFESSIO.

## SUMMARIUM.

- 1 Confessio cui fieri debeat, & quando ad eam quis obligetur de jure divino, & positivo; de jure positivo satis constat per capitulum omnes utr. sexus, de pœn. & remiss. & de temporis congruitate per Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. de confess. Canone 8. De jure divino videto Doct. Theologos, Canonistas, & Summistas, in 4. sent. tract. de confess. &